



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Quæst. IV. & V. De Obligationibus respectivis ex procuratione nascentibus  
inter constituentem & constitutum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



maximè, quæ Replicationes, Duplicationes, Triplicationes habent, quas ad Regulas reducere conabimur.

*II. Reg. General.* Pertinet ad formam Procuratorionum, quæ nullæ sunt, si conditionum substantialium aliqua deficiat.

*III. Reg. General.* Quædam sunt negotia, in quibus Procuratio generalis sufficit: quædam specialem requirunt. Quoad hæc, non semper exigitur Procuratio negotium propositum nominatim, atque unice exprimens; verùm sufficit generalis cum Clausulâ, cum liberâ rerum administratione, vel cum Clausulâ speciali ad hoc negotium, vel cum Clausulâ, quæ extendit ad omnia negotia Procuracionem specialem requirentia. Id quod dictum est de uno ex illis negotiis exempli vice, nuncupato, ita restringendum, modò majora aut graviora non sint casibus expressis: sufficit etiam, ut quis in rem suam Procurator fuerit constitutus.

*IV. Reg.* Procuraciones, ad quædam Capita limitatæ, non extenduntur ad alia: itaque, si quis ad agendum, seu petendum, sit constitutus, defendere non potest.

Hæc duæ posteriores Regulæ continent summam *Exceptionum II. & III.* cum ipsarum Replicationibus & c.

Inter *Except. V.* usque ad *XIII.* quæ spectant Personas, à Procuratoris Officio exclusas, sola *Septima* enucleatione indiget. In ipsa agitur de Procuratore, qui potest aut nequit nominare Procuratorem. Obscuritas ex Duplicationibus, Replicationibus & c. oritur, quibus resecis ipsa evanescit; quod ut prorsus fiat, distinguendi sunt Casus Prioris generis à Casibus Secundi. Illi sunt. 1. Si litis contestatio facta fuerit; 2. Si Constituens Procuratori suo potestatem hanc tribuat actu speciali, vel ipso mandato. 3. Si Procurator in rem suam constitutus fuerit à Sociis, aut Cohæredibus, vel Condebitoribus, aut Concreditoribus; 4. Si sit Procurator extrajudicialis, nisi agatur de Matrimonio *Cap. 9. de Procurat. in 6.*

In casibus, qui prædictis contrarii sunt, Procurator alium Procuratorem constituere nequit, quibus adji-ciendi sunt. 1. Ii, in quibus Mandatum nullum est, aut revocatum, aut extinctum, 2. Ii, in quibus Procurator abdicavit. 3. Ii, in quibus Procuratori merum ministerium, aut simplex executio committitur.

Quod dictum est de *Except. VII.* extenditur ad *Exc. XIV.* quæ pertinet ad Casus, in quibus plures sunt Procuratores; nam perspicuè exponi possunt absque Replic. Duplic. si tres in classes dividantur: *Prima* est eorum, in quibus Procuratores constituti sunt, ut agant conjunctim; & tunc nihil singuli sigillatim agere possunt, exceptis negotiis spiritualibus vel Electione, Postulatione, Provisione, in quibus Judex eum eligere debet, qui magis idoneus sibi videtur; quia ejusmodi negotia celerem confessionem possunt: *Secunda* est eorum, in quibus ita constituuntur, ut aliis alii substituantur; & tunc vincit diligentior: *Tertia* est eorum, in quibus variis temporibus Procuratores constituti sunt; & tunc novissimus anteponitur prioribus, quorum potestas ultimi nominatione extinguitur.

Exceptio adversus Procuratorem in Jure competens, proponi debet antè contestationem litis, nisi agatur de falso mandato.

#### QUÆST. II. de REVOCATIONE PROCURATORIS & Resumptione negotii per se, aut per aliam gerendi.

Autor *CAP. VIII.* adijcere debuisset *C. 2. & 3. de Procurat. in 6.* quod non minus ad argumentum pertinet, quam hæc duo, ab ipso laudata. Docent ea, Procuratorem perpetuum, qui per litis contestationem Dominus ejus factus est, revocari non posse, nisi ob legitimas rationes, quæ coram Judice proponendæ, atque ab illo discutendæ sunt; sed si constitutus fuerit ad tempus absentia constituentis, & hic reversus, negotii curam suscipiat, ille eo solo revocatur; ista autem resumptio non trahit revocationem Procuratoris sine restrictione nominati, nisi eum constituens expressè vel tacitè revocaverit.

#### QUÆSTIO III. de POTESTATE, atque OFFICIO PROCURATORIS.

Quatuor hujus Quæstionis Regulæ nihil continent, quod in *Exceptione VII.* expositum non fuerit, circa casus Procuracionem specialem requirentes.

#### QUÆST. IV. & V. de OBLIGATIONIBUS respectivis ex PROCURATIONE nascentibus inter Constituentem & Constitutum.

Qui litem alienam suscipit, eam persequi tenetur, & curare ut Judicium adipiscatur; alioquin damnnum refarcire debet, quod inde Constituens parietur: sed, si Judicium Constituenti adversum fuit, & Procurator provocaverit, persequi non tenetur. Si hoc in casu Judicii adversi Procurator non provocet, aut Constituentem de Judicio lato docere negligat, de damno pariter tenetur. Constituens Procuratori suo refundere debet omnes impensas & sumptus ratione sui negotii facta.

#### OBSERVATIONES in CAP. V. circa ACTOREM, REUM & REM LITIGIOSAM.

Majorem copiam Regularum circa Actorem & Reum colligere debuisset ac potuisset Autor. Multæ sunt in Jure, quoad hoc argumentum, cujus momentum gravissimum est. *Prima* est, quod uterque sit ejusdem conditionis, quibusdam casibus exceptis, in quibus contrarium suadet ratio *Cap. 2. de mutuis petitionibus.* Hujus Regulæ exemplum occurrit in *Tertia* apud Actorem; nempe, si alteruter Judicem corrumpat, Excommunicationem Pontifici reservatam incurrit. *Exceptionis* exemplum suppetit in *Except. I.* Autoris: in dubio Reus Actori præfertur; id ratio requirit, nam Reus habet possessionem, quæ conditionem ejus potiorrem facit, quam Actoris, juxtà Regulam, *in dubio melior est conditio possidentis*; undè fit, ut probationis onus incumbat Actori, qui, si non attulerit sufficientem, absolvitur Reus, *Actore non probante, Reus absolvendus.* REGULA IV. hujus Capituli Exceptionem similem patitur; quod non licet Reo, non licet Actori; nam Exceptio est, si obscurus fuerit Actoris Libellus, eum Actor ipse exponere potest, non verò Reus, qui illum in commodum suum converteret.

Simile est exemplum in Regulâ omittâ ab Actore; *Actor sequitur forum Rei*, quæ pertinet ad Actiones Personales: nam, si uterque eundem Judicem non habeat, oportet, ut Reus coram suo Judice conveniatur, quoniam Judex Actoris Jurisdictionem in Reum non habet.

In quibusdam Actionibus uterque Litigantium Actoris & Rei personam sustinet; tales sunt Familiæ circiscundæ, communi dividendo, finium regundorum.

Probandi onus ad Reum recidit, cum ipse Facta objicit, velut Præscriptionem, aut Solutionem.

Regula, *Qui ad agendum admittitur, ad excipiendum multò magis admittendus est*; hujus Capituli argumento congruit. Exceptio est defensio, quæ Actione favorabilior est; undè fit, ut maritus, quem uxor deseruit, habet jus eam repellendi, si illa se recipi petat, quia jus habebat separationem postulandi.

Mirum videtur, Actorem, qui sæpè plures affert Exceptiones, quam Regulæ, nullam subjecisse tribus Regulis à se propositis.

Cum sint Personæ, quæ in Jure agere non possunt, ut ex adverso, quædam, adversus quas agere non sit possibile, quia se defendere non valent, Autor potuisset ac debuisset colligere Regulæ, quæ genus utrumque spectant, aut indicare locum, in quo de illis acturus erat.

Loquens de *Re litigiosâ*, duas statuit Regulæ cum

Except-